



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 3. Sententiam illam, Patria est vbicunque bene est, acutè à Lysia reprehensam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

rege dicta, cuius sepulcrum in parte Syrtium maiorum est. Horum corpori ingenitum fuit v̄us exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos verò, liberos genitos protinus obüciendi sauisimis earum: eoq; genere pudicitiam coniugum experiendi: non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. Hæc Plinius, qui cum Varronis testimonio vtatur, cuius scripta, maximo studiorum incommodo, desiderantur; ego autem ea, quibus hoc ipsum doctissimus ille scriptor expoüerat, verba repererim, operæpretium facturum esse me duxi, si ea hîc apponerem, ac cum Plinianis contenderem. Citat igitur hæc Priscianus è Varronis libro primo Rerum humanarum: *Vt habent Parij, qui vocantur ὄφιόσχοις, & in Africa Psyllos. quorum ὄφιόσχοις cum arbitrantur, suppositum esse aliquando in stirpe, ei admovent, vt pungat, colubram. cum pupugerit, si de genere sit, viuere; si non sit, mori. In eodem: Admota aspis cum pupugerit, si non occidat, sciat, ex Psyllorum stirpe esse.*

Sententiam illam, Patria est, vbicunque bene est, acutè à Lysia reprehensam. CAP. III.

QUOD in vetere tragœdia Telamonis filius Teucer dixisse traditur, Patriam esse cuique, vbicunque cuique esset bene; id etsi pulchrè ac sapienter dictum videtur, profectumque ab animo excelso, & despiciente omnes acerbitates, quas homini obiicere fortuna posset: grauitè tamen & verè reprehensum est ab oratore prudentissimo, & acutissimo Lysia: demonstratumque eam sententiam hominis esse de suis tantum commodis solliciti, neque ad ciuilem communionem apti. non enim valdè laborabit, quid patria sua fiat, quicumque eo erit animo, vt illius caritatem opportunitatibus suis metiatur. solum ipsum, cui

cui primùm institit, & cælum ipsum, vnde primum spiritum duxit, diligit oportet, qui se bonum ciuem perhiberi vult: aut, si fortè, cum alibi natus esset, ciuitate donatus est, eam imbibat opinionem, vt, nisi ciuitati bene sit, ne sibi quidem putet bene esse posse. Itaque Vlyxes, vt est in fabulis, cum apud Calypsonem posset in omnibus deliciis viuere, tamen illam asperam & lapidosam patriam suam anteposuit etiam immortalitati: non ita facturus, si illam, quam diximus, Teucris sententiam approbasset. Verùm ipsa verba, quibus eam exagitat Lysias, præstat, vt opinor, ascribere. Sunt autem in oratione aduersus Philonem, hoc modo: *Καὶ γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖται εἰσι, γλώσῃ δὲ χεῖρῃ, οἷς πάντα γῆν πατρίδα αὐτοῖς ἔστιν, ἐν ἣ ἀνὰ τὰ ὀπίσθη εἰα ἔχουσιν, ὅτι οἱ δὴ οἱ εἰσιν, ὅπῃ ἀνὰ πᾶρας τὸ ἴδιον κέρδιον ἔλθουσιν, διὰ τὸ μὴ τῷ πόλει, ἀλλὰ τῷ ἑαυτοῦ ἴδιον κέρδιον ἔλθουσιν, διὰ τὸ μὴ τῷ πόλει, ἀλλὰ τῷ ἑαυτοῦ ἴδιον κέρδιον ἔλθουσιν.* Igitur dictum illud Teucris, bonum quidem virum aliquando fortasse non dedecet: bonum certè ciuem non decet. Est apud Ouidium sententia quædam non valdè dissimilis, nisi quòd latius pater, ita enim apud eum Carmenta:

Omne solum forti patria est, vt piscibus equor:

Vt volucris vacuo quicquid in orbe patet.

Sunt autem ij versus expressi ex illis Euripideis:

Ἀπᾶς μὲν αἰῆς ἀετὸς περᾶσι μῦθος.

Ἀπᾶσι δὲ χεῖρῃ ἀνδρῶν Ἰωνάειο πατρίς.

De vi verbi Alloquor. Horatij in Odis explicatus locus.

CAPVT IIII.

ALLOQUENDI verbum propriè admodum & venustè vsurpatum esse à veteribus in eo sermone qui leuandi ac minuendi alieni doloris caussa haberetur, è Varronis libris iam pridem Petrus Victorius an-

Ant. Martini
Varia Lektionen
LIII
28